Quelle: http://manuscripta.at/?ID=8999
Copyright: Melk, Benediktinerstift

magistrorum a discipulis exponuntur. que suggeruntur crebris conversancium dictionibus divinis
karismatibus inspiratis. Sanctis bonorum meritis excolendis. quantum gesta sanctorum utilitatis impertiant.
quantum fervoris adtribuant. quantum puritatis infundant. De hac re apostolice vocis auctori
tas late innotescens. Forma inquit estote gregi. Et beatus paulus timotheo precepit. forma
esto fidelibus. Unde idem apostolus victorum catalogum summa brevitate contexens. ab abel inci
piens insignium virorum pergit narrare virtutes. Sic et ille fidelissimus mathathias morti
gloriosissime iam propinquans. filiis suis hereditario iure sanctorum exempla distribuit. Quorum
certaminibus ammirandis celitus excitati. animas suas pro legibus sempiternis securitatis fer
vore contempnerent. nec paterna liberos fefellit instructio. Tantum enim profuerunt me
morata facta maiorum. ut aptissima fide armarentur. principes deterrerent. Castra sacra
lege superarent. cultus arasque demoniacas longe lateque diruerent. unicamque coronam sertis
decoratam perhennibus splendenti parte providerent. Unde et nos ornamentis sponse christi quoddam
fraterno ministerio providi gaudemus. non quo ullis ut credo temporibus defuerit clarior
vita maiorum. sed quod domum magni regis plurimorum vexilla tropheorum habere conveniat.
Non enim vera virtus excluditur numerositate virtutum. sed optatis successibus eatenus am

DOMINO sancto ac merito venerabili **Prologus in vita severini m.** pliatur.
paschasio diacono eugipius in domino salutem. Ante hoc ferme biennium epistola
cuiusdam laici nobilis ad quendam directa presbiterum. nobis oblata est ad legendum.
continens vitam basilici monachi. qui quondam in monasterio montis cui vocabulum
est titas super ariminum commoratus. post in lucania regione defunctus est. vir et multis
et michi notissimus. Quam epistolam cum a quibusdam describi cognoscerem cepi mecum ipse
tractare. nec non et viris religiosis edicere. tanta per beatum severinum divinis
effectibus celebrata non oportere celare miracula. Que cum auctor epistole prefate
rescivisset. animo propriore mandavit. ut aliqua sibi pro parte eiusdem sancti severini mitterentur
indicia. quibus instructus libellum vite eius scriberet posterorum memorie profuturum.
Hac ego primus oblacione compulsus. commemoratorium nonnullis refertum indiciis.
ex notissima nobis et cotidiana maiorum relatione composui. non sine magno merore ani
mi iniustum scilicet reputans. ut te superstite laicus a nobis hoc opus efficere rogaretur.
cuius et modus et color operis non sine presumptione quam possit iniungi. ne forsitan secularis
tantum litteratura politus. tali vitam sermone conscriberet. in quo multorum pluri
mum laboraret inscientia. Et res mirabiles que diu quadam silentii nocte latuerant
quantum ad nos attinet ignaros liberalium litterarum obscura disertitudine non lu
cerent. sed non ultra lucerne illius igniculum te velut sole splendente perquiram. tantum ne
in peritie tue radios nube quadam excusationis obducas. imperitiam propriam videlicet
accusando. Noli obsecro tam duris me verberare sermonibus dum dicis. Quid tamquam
expectare de silice. Iam utique non expecto de silice latices salutares. sed a te qui spiritalibus
spiritalia comparans. nos de firmissima petra illo quo profluis oronis melle recreabis. De quo